DE ERYSIPELATE AD LAUREAM MEDICAM RITE ASSEQUENDAM IN CAES. R…

Giovanni medico Scardovelli (medico)

DE

ERYSIPELATE

AD LAUREAM MEDICAM

RITE ASSEQUENDAM

IN CAES. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

JOANNES SCAROOVELLI

MANTUANUS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXX

In morborum caterva, praeclarissimi Viri, qui corpus humanum affligunt, non infrequens est Erysipelas, quod cum tristes saepe sequelas secum trahat, medici studium ad illas coercendas, vel saltem mitiores reddendas efflagitat: et cum hoc argumentum ad meum hodie solvendum munus selegerim, in primis a morbi definitione exordiar.

Erysipelas, *Rosa volatica*, est inflammatio exhantematica, minime contagiosa, quae cutaneam superficiem incertis afficit partibus, colore rubro-albo splendenti, rarius livescenti-flavo, vel rubro-nigro, donata; cutis ipsa tumescit, cum caloris et pruritus sensatione molesta: sub digito prementi pallescit, quo ablato, colorem pristinum acquirit.

Juvabit itaque divisio Erysipelatis in idiopathicum et sympathicum, prout evolvitur a causis directe in cutem agentibus, aut in organa quae plus minusve cum ipsa relationis habeant. Quod si aliquid auctoritatem Mezza et Richa facere velimus, nunquam, febre absente, Erysipelas. Idiopathicum vero, ubi circumscriptum in individuo optimae constitutionis, absque illa interdum manifestatur. Frigus, horror, rigor, dolor epigastrii, nausea, os amarum, linguae spurcities, pulsus exilis, frequens, contractus, symptomaticum praecedunt, calor inde subsequitur: pulsus fortiter vibrant; facies inflammatur; adest dyspnoea, anhelitus, animis perturbationes, quae phaenomena eo magis increscentia, Erysipelatis tandem, secunda vel tertia die, symptomata adparent.

Adspectus varii, quos aetas aegri et constitutio, extensio, intensio inflammationis, exitus varii, et turbae sympathicae quas excitat, uti varietates, gradus, species, et morbi istius complicationes, a Pathologis designatae fuere. Inter varietates vero, sicuti anatomicarum dispositione partium innixae, fundamentales, Erysipelas simplex,

phlegmo-nosum, atque Oedematosum habentur.

Simplex verum, aut legitimum auctorum, a levi intumescentia manifestatur inaequaliter circumscripta in aliqua superficiei cutaneae parte, saepius in facie et mammis, symptomatibus jam in morbi definitione notatis: sexta, vel septima die, vesiculae miliares, Eczemae illis similes, efflorescunt; ex vehementi autem irritatione, bullae, aut phlictenae, quae eadem die earum evolutionis disrumpuntur: humor exsiccatus crustas flavescentes efformat. Ejus terminationes sunt, plerumque resolutio saepe ab urinis hypostaticis, alvinis dejectionibus praecessa, et tum et quando a levi haemorrhagia, a symptomatum omnium imminutione, atque epidermidis desquamatione. Rarius suppuratio et gangraena.

Nullum fortasse exhantema hujus sponte ac de repente facilius retropellitur alibi erumpens, primitiva sede relicta, Erratici nomen accipit; quod si ejus delitescentia repentina, ab alicujus organi inflammatione subsequatur, metastaticum nuncupatur. Et viscera quoque ab Erysipelate corripi, Petrus Frank observavit.

Phlegmonosum a simplici discriminat quoad vehementiam et sedem profundiorem, tensionem majorem; et quod difficiliter sub digiti pressione pallescit. Terminationes sunt: resolutio, facilius suppuratio; interdum gangraena. In Oedematoso tumor a cute et textu celluloso subcutaneo efformatus, elevatur ac progressive extenditur, non phlegmonosam tensionem, at oedematis vel emphisematis resistentiam praeseferens; sub digiti pressione deprimitur, et depressus, etiam ablato digito, per nonnulla temporis momenta remanet. Dolores vivi, color flammeus in livido-plumbeum vergens, gangraenam enuntiant.

Differt quoque Erysipelas ratione partium quas grassatur, et variis distinctis symptomatibus stipatur: in pedibus nitorem inducit tibiis, quin si gravius cum dolore ad crura usque propagatur, et levi attactu exacerbatur. Faciem si occupat, intumescit haec successive, rufescit, interspersis copiosis aqueis vesiculis, oculi tument, clauduntur, spiritus difficulter trahitur, nares et fauces aridae valde sunt et siccae, torpor plerumque ac sopor conjunctus est, quin ob propinquitatem cerebri

metuendum, ne in phrenitidem, vel lethargum lethalem degeneret. Mammae si eas Erysipelas aggreditur, intumescunt, indurescunt, saepe lapidis instar, acute dolent, et facile sequitur suppuratio, sub axillis, ibique positis glandulis, acerbissimo stipatur dolore, et plerumque in abscessum desinit. Umbilicalem regionem in infantibus frequentius infestat, ac inde per abdomen funesto, ut plurimum, eventu propagatur.

Erysipelas praecipue simplex, confundi potest cum morbillo; in hocce vero inflammatio, minis diffusa ac superficialis. Secernitur a morbo scarlatinoso, qui constanter comitatus faucium dolore, erysipelatis vivum non praesefert colorem, et contagiosus evadit (etsi Veatbered et Wels contagiosum quoque habeant erysipelas, ex eo quod illis occurrit nonnullos vidisse, iisdem sub circumstantiis, eodem tempore, aut successive ab illo correptos fuisse) Ab Erytemate, ob inflammationem magis superficialem, et quod saepe manifestatur sub macularum forma, plurima characteres illud a morbis bullosis dividunt, praesertim a pemphigo. Impossibile

vero, cum furunculo, phlegmone et anthrace, confundi posse videtur.

Quas partes praecipue cutem efformantes erysipelas afficiat, plurimi Anatomici disquisivere. Ex M. Ribes afficiuntur praecipue surculi venosi, minus arteriosi, minus quoque lympbatici. Alii diversimode sentiunt. Si vero cum Burserio, vasa rubra ac lymphatica, textum cellulosum cutaneam, et corpus mucosum, una eodemque tempore, affici asseruerimus, certe non longe errabimus.

Hicce morbus a fluidis immutatis qui agunt in solida; vel a solidis ex aliqua extrinseca aut intrinseca causa perturbatis originem ducit. et immutatio fluidorum, est ne consequentia: " Urinam, ait celeberrimus Pathologus Fanzago, salivam, „ bilem, ipsumque sanguinem, a pristino nativoque sanitatis gradu, quandoque dejici, variisque subjici morborum immutationibus, quis neget „ ? at paullo post, sequitur ille: " ipsorum enim morbosae „ immutationes, primarium semper aliquod „ vitium solidis insidens nunciant; et passivi quodammodo considerari debent. „ Eorum motus, solidorum motibus omni-

no parent„. Et Sprenghel: " Conforma-
„ tum est ita corpus nostrum, ut nullus fe-
„ re humor inquilinus ab externis rebus
„ mutari, aut corrumpi possit, nisi prius
„ mutatis vasis incitatis, aut adfectis ner-
„ vosis partibus„.

In Erysipelate metastatico, morbosane transfertur materia? Sicuti qualiscumque causa irritans hunc potest gignere morbum, sic Erysipelas in data parte vigens atque irritans, alibi ob partium continuitatem, vel similis illarum texturae consensum, eandem formam excitare potest, cum suimet extinctione, vel saltem imminutione; forsan ea tantum ratione susceptivitatis majoris. Ea lege vero, qua data sensatione intensiori in centro maximo non persentiantur illae gradus minoris, aut debiliter persentiantur, et hinc illis motus non subsequuntur, vel vero debiles subsequuntur, dummodo energicè in partem ad quam centrum maximum, sensationem majorem refert; sic morbus secundarius ex primario, primarius evadit: vitam incrementumque ducens, evanescente, vel imminuente illo. Neque fulcro innixa diverso, derivativa methodus ac revulsiva,

tantum utilitatis affert. Cum vero ad morbi genesim morbosi humoris praesentia primitus non sit necessaria; nemo tamen inficiabitur, quod humor ille immutatus et circulans morbosas novas oscillationes textuum irritabilium, contractilium, turgescentium, excitare valeat, et tali pacto morbum intensiorem reddere.

Erysipelati obnoxii sunt, prae reliquis, temperamento sanguinei, et sanguineo cholerici, plethorici, juvenes, viri, nec non foeminae gravidae, in quibus tamen omnibus benignioris esse solet naturae; sed in scorbuticis, senibus et cacochymicis, item foeminis, suppressione, vel emansione, aut retentione mensium laborantibus, deteriorem obtinet genium.

Veris tempore et Autumni plerumque saevit.

Inter causas procatarcticas recensentur, animi affectus vehementes, ita praesertim ac terror: Fallopius consignavit exemplum foeminae, quae quotiescumque irata, erysipelas nasi incurrit, aquae hordei potu facile discutiendum: intensior solis ardor, nec non vicissim subita vehemens corporis, vel pedum refrigeratio: cibus calidus,

potus exaestuans, crebra ebrietas, balneum fervidius, rudes perfricationes, attactus substantiae causticae et irritantis, morsus animalium venenatorum, vulnera, contusiones et similia.

Prognosis quo ad Erysipelas idiopathicum, simplex, circumscriptum, satis secunda evadit. Magis autam reservanda quo ad sympathicum, et partes quas corripit. Phlegmonosum atque oedematosum, magis exitialia.

Generatim si cito et sine adeo vehementi commotione erumpit, nec corpus sordidum, nec locus nobilior, aut cum nervosis partibus communicans, adhibitis congruis remediis, post unam aut alteram diem, tumor sensim subsidet, ardor ac dolor evanescit, color roseus mutatur in flavum, cuticula finditur, in squamas fatiscens secedit, morbus ex voto solvitur; quin immo salubritatis notam quandoque fert, nam illo superveniente, plurimi silent morbi, uti asthma convulsivum, colica convulsiva etc. Contrariis autem circumstantiis ex supradictis, periculo non vacat. Mali adeo semper omnis improvvisa et spontanea retropulsio. Rubor qui circum aures in febribus

manifestatur, post graves cruciatus Encephalitidis symptomatibus stipatos, Erysipelas in facie proditurum ominatur Hyppocrates. Rubores, dolores ad glandulas jugales, axillares, inguinales, partes illas erysipelas aggredi denunciant. Ad bocne nervorum et lymphaticorum tantummodo sufficit irritatio? Ex Hawson, tanta est lymphaticorum irritabilitas, ut a simplici irritatione rubefiunt, inflammantur, et uti fides tenduntur.

Curatio. Quum idiopathicum et leve, lotiones aquae frigidae repetitae, decoctiones emollientes, potus diluentes, et regimen antiphlogisticum.

Si intensius et symptomatibus generalibus inflammatoriis comitatur, venaesectiones: hirudines in loci adfecti proximitate et morbus audaciter balneis frigidis repercutiendus: potiones aciduło-mucilaginosae, et regimen magis austerum.

Symptomaticum, cave frigus, cane pejus et angue: proderunt autem hirudines in epigastrio, si praecessum symptomatibus gastrico-intestinalibus inflammatoriis, vel vero si ex eorum irritatione ortum duxit. Desseault, plerìqui Pathologi Galli, in mor-

hi initio emeticum commendant. Emeticus vero qui in erysipelate capitis ex vulnere prodest; experientia illum experitur perniciosum *in* casibus illis, ubi magis indicationi satisfacere videretur, uti quidem in colluvie biliosa et gastrica. Et Hoffmannus saepe vidit post vomitorium aut validum purgantem, Erysipelas recessisse, et insequutam ventriculi inflammationem et mortem.

Erysipelas erraticum est illud in primis per vesicatorium, ut ita dicam, fixandum, aut in partem quam reliquit, revocandum; hinc inflammatio viscerum discutienda, quam gignere potuisset.

Phlegmonosum, venaesectiones, hirudines, balnea tepida, cathaplasmata emollientia, et narcotica. Si nihilominus suppuratio adsit aperiatur abscessus. Si gangraena et laedantur sympathice cerebrum et ventriculus, leves incisiones partis inflammatae proderunt, cum venaesectione prudenter instituta, prout res postulabit. Et quamvis Petassier et Olivet in erysipelate phlegmonoso vesicatorium loco dolenti concelebrent; videntur tamen anteponi generales et topicae sanguinis missiones, uti quae

tutius suppurationis et gangraenae exitum saepe cohibent.

Oedematosum; si oedema inflammationem cutis praecessit, praesertim hydropis curationem efflagitat; si eodem tempore cum inflammatione, eadem cura phlegmonosi juvabit.

Concludendum tandem est cum Rayer, quod in Erysipelate simplici, aut phlegmonoso, vel aliis laesionibus plus minusve gravibus sociato, sanguinis missiones, tum per hirudines, tum per venaesectionem assequutae, cujuscumque curationis methodi emolumentum exsuperant, ubi ineunt morbo et copiosae instituantur.

THESES

I.

Habitudo sensus hebetat.

II.

Habitudo judicium perficit.

III.

Ars gaudendi sita est in causarum varietate.

IV.

Frigus agit relativo modo.

V.

Quod uno tempore prodest, in eodem tamen morbo alio tempore datum, obest.

VI.

Alvo liquida, venus frigescit: sicca laetatur: venus nimia exicat alvum.